

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Timor y
cum fonte primo

Desines timere, si sperare
desieris.

Spem metus sequitur. Nec miror ista sic
ire; utrumque pendentis animi est,
utrumque futuri expectatione
sollicitum. Maxima autem utriusque
causa est quod non ad presencia
aptamur sed cogitationes in longinqua
praemittimus. Itaque providencia,
maximum bonum condicionis humane,
in malum uersa est. Fere pericula que
uident fugiunt cum effugere secure
sunt.

Seneca XIII. epistola.

'Desines' inquit 'timere, si sperare
desieris.'

Dices, 'quomodo ista tam diversa pariter
sunt?' Ita est, mi Lucili: cum videantur
dissidere, coniuncta sunt.

Quemadmodum eadem catena et
custodiam et militem copulat, sic ista
quae tam dissimilia sunt pariter
incedunt:

spem metus sequitur. Nec miror ista sic
ire: utrumque pendentis animi est,
utrumque futuri expectatione
solliciti. Maxima autem utriusque
causa est quod non ad praesentia
aptamur sed cogitationes in longinqua
praemittimus; itaque providentia,
maximum bonum condicionis humane,
in malum uersa est. Ferae pericula quae
uident fugiunt, cum effugere, securae
sunt:

nos et venturo torquemur et praeterito.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 5, 7-9 (L. Reynolds
ed., vol.1, p.9, ll.15-26).